



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 59. Religionis Status in Anglia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

faciat in indulti a Papa Parisiensis Senatus Sæcul. XVI.
Assessoribus concessi præjudicium. VII. A.C. 1547.
Nullam inter Regis subditos jurisdictionem
exerceat circa conjugatorum separationem,
usuras, restitutiones, vel alia crimina. VIII.
De crimine hæresis non cognoscat, neque Re-
gis subditos in ejusmodi caussa absolvat, ni-
si quantum ad conscientiam, & pœnitent-
tiam. IX. *In diplomatibus suis nec Pa-*
tronorum, aut aliorum Ordinariorum ju-
ribus, nec Regulæ de verisimili notitia,
& publicandis resignationibus deroget.
X. Caussas Ecclesiasticas ad se non evocet,
nec de iis cognoscat. XI. *In criminibus*
pure Ecclesiasticis multas pecuniarias laicis
non irroget. XII. *Denique non deroget*
sacris Decretis, pactis inter Reges, & Pon-
tifices initis, Conciliis Oecumenicis, Juri-
bus, immunitatibus, Ecclesiæ Gallicanæ li-
bertatibus, Academiis, & publicis Regni
scholis, idque suo Chirographo confirmet.
Actum in Senatu die vigesima tertia Julii.

§. LIX.

Religionis Status in Anglia.

Cum regnante Henrico VIII. Religio *Sander. de*
 Catholica in Anglia posterioribus *Schif. Angl.*
 præcipue annis acerba prorsus vexatio- *lib. 2.*
 ne fuisset oppressa, majora adhuc detri-
 menta sub Eduardo VI. Henrici filio,
 ejusque Successore passa est; quippe
 Eduar-

Sæcul. XVI. A.C. 1547. Eduardus Seimerus Avunculus novi Regis, qui diadema adeptus vix decimum ætatis annum attigerat, semetipsum proclamavit solum, & unicum Regis Tutorem, Regnique Protectorem; cum autem hic æque ac Richardus Corcus, ac Joannes Checus ambo Eduardi Regis Magistri Zwinglii sectam profiterentur, brevi sub novo hoc Regimine Catholicæ Religionis reliquiæ in Anglia penitus extinctæ fuerunt. Insuper Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus haud ultra hæresin dissimulare sollicitus palam totum, quo ejus animus contra veram doctrinam infectus erat, venenum effundere cæpit, cunctaque sacra, & profana Regiæ potestati subjecit, imo etiam ipsosmet Episcopatus ei subdidit, atque Ordinationes, ipsasque Sacramentorum formas, ac preces tam in Episcoporum, quam Sacerdotum inauguratione adhibendas a Senatu præscribi mandavit. Postmodum res Liturgicæ, seu publica Ecclesiæ officia, necnon quælibet Sacramentorum administratio Regis arbitrio committitur, evertuntur plurium Sanctorum imagines, ac picturæ, necnon in quibusdam Ecclesiis dejecta Christi Crucifixi imagine Regis insignia appenduntur. Pariter occasione ex Henrici VIII. exequiis captata discutitur institutio
Missa-

Missarum *de Requiem*, ac brevi post eæ-
dem abrogantur, nec minus sancitur, Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
per univcrsum Regnum Visitatores esse
emittendos unacum Constitutionibus
Ecclesiasticis, fideique articulis. His
etiam adjugebantur Præcones, qui no-
væ Reformationis doctrinam prædica-
rent: quinimo duodecim Homeliarum
liber confarcinatur, ut populus instrue-
retur, qua ratione juxta Novatorum
dogma salutem consequi posset. Deni-
que abolito Missæ Sacrificio, everfisque
sacris imaginibus, soli Protestantium
Ministri ad populum dicere permittun-
tur. Interea cunctis hisce immutatio-
nibus introductis Regno bellum impen-
debat contra Scotiam, cui Galli sup-
petias ferebant.

§. LX.

*Universitatum Visitatio ab Anglicæ
Rege præcepta.*

Igitur Angliæ Protector pluribus, quas *Sand. l. c.*
retulit, victoriis elatus primas eo *p. 240.*
curas intendit, ut spuriam Reformatio-
nem in Regno stabiliret, quam in rem
Rex in mandatis dedit, ut omnes aca-
demix, ac Collegia visitarentur, ve-
rum illi, quibus hæc provincia erat de-
mandata, sanctissima piorum Fundato-
rum Decreta ad Religionis, disciplinæ,
ac